

vum ab eisdem reciperetur, nec nisi urgente penuria venalis satis moderato pretio proponeretur.

At Pontifex quarto Idus Septembris Senis discedens, Romam versus profectus est, ubi Kal. Julii Senensem Catharinam exemplo vitæ ac miraculis claram, maximo cum totius Civitatis gaudio ac lætitia Divorum Catalogo adscriptis, Corsinianumque natale solum, Pientiam de suo nomine appellatam Episcopali dignitate decoravit.

Quo tempore Ferdinandus Neapolitanus Rex Alphonfi filius, ex multis acceptis beneficiis, præsertim quòd ab eo in Regno confirmatus, ac Regià Coronâ donatus esset, quo se memorem, gratumque ostenderet, filiam non quidem legitimam Antonio ejus ex Sorore Nepoti in matrimonium collocavit, inque dotem Amalphiensem Urbem tradidit; itemque Andream alteri ex Nepotibus Castrum Leonis Piscarii, & Igilium Insulam est elargitus. Prodiit exinde Roma Kal. Maji, atque ad Viterbienses Balneas per dies plures commoratus, ad Castellum, quod Abbatia Salvatoris dicitur, in Amiatinis Montibus profectus est; quo secessu ob silvarum & fontium ærisque amenitatem, æstivo tempore plurimum delectabatur, quibus in locis cum usque ad Augusti mensis medium permansisset, Corsinianum primò, Pientiam de suo nomine dictum, se contulit, ubi cum propter adversam valetudinem usque ad mensis Februarii medium constitisset, Senam reperit, & maximâ Civium omnium lætitiâ & alacritate suscipitur. Et cum totum Quadragenarium jejunium subægrotaisset, Paschali tandem solennitate peractâ, ad Petriolanâ Balnea, quorum aquâ plurimum confortabatur, læticiâ delatus est; cùmque melius se haberet, circa Maji mensis initium Senas revertitur. Cùmque dies Divæ Catharinæ Senensis celebritati dicatus esset, apud Divi Dominici Templum Missæ solennibus interfuit, ubi quamplures pro bello contra Turchas gerendo Cruce signavit. Exinde per Urbem, dum supplicationes agerentur, processit. Reliquiæ Sanctorum in his plures deferebantur. Has inter erat Beati Johannis Baptistæ dextera, quam paulò ante à Peloponensi Despoto acceptam Pius Civitati est elargitus: munus sanè dignissimum, quo Patriam exornaret. Senis deinde discessit VII. Idus Maji, ac Romam primò, mox Anconam se contulit, ubi mortales multi conveniant cum trirēibus octoginta, maximoque eorum omnium apparatu, quo contra immanes Turchas proficisceretur. Illic in dies urgente ægritudine, Idibus Augusti discessit 1464. magnâ totius Religionis tristitiâ, ac mœrore. Ejus cadaver Romam perlatum magna cum pompa in Vaticanum sepelitur juxta D. Andream sacellum in Sepulchro à Francisco Cardinali ejus Nepote constructo, cujus Epitaphium adhuc visitur. Ejus mors ad Senenses perlata, maximum cunctis mœrorem, ac tristitiam intulit, tamquam communi Parente orbatis, quippe qui Patriam suam (ut par erat) plurimum diligeret, cunctaque illi salutifera consuleret, ac provideret. Nec desuere debiti in Urbe Exequiarum honores, uti erga Pontificem, & Civem optimum decuit fieri. Fuit enim Vir omnimoda laude dignus, moribus, ac lite-

Tom. XX.

ris ornatissimus, quique ad Pontificiam Dignitatem, non malis artibus, ut plerumque fit, sed magno & Regum, & Principum favore, atque Cardinalium omnium consensu provectus, ea semper spectaverit, quæ ad Romanæ Ecclesiæ decus, ac totius Christianæ Religionis amplitudinem pertinerent; ita ut optimam cunctis de se memoriam, ac desiderium dereliquerit. Paulò post Petrus Barbo natione Venetus ad Pontificatum extollitur, ac Paulus Secundus dicitur. Is, quod Eugenii Pontificis quondam Senensis Antistitis ex Sorore Nepos existisset, ac propterea Civitate adhuc Juvenis fuisset elargitus, Senensis Civitatis amicus, ac benevolus habebatur. Ad eum Oratores gratulandi; ac pedes deosculaturi destinantur, qui argentea Vasa plurima ad illum dono deferentes, ingenti cum gaudio & honore accepti sunt, & iisdem, quæ diximus Vasis, additis sui ipsius Insignibus, redonantur.

Nec multo post tempore Nobiles, qui, Pio instante, ad Rempubicam administrandam restituti fuerant, Popularibus rem ægrè ferentibus, ab ea rursus amoveantur. Res indigna sanè; ut ea, quæ per talem ac tantum Pontificem, deque Civitate sua adeò benemeritum, acta fuerant, ipso statim ferè extincto, rescinderentur. Una tamen Piccolominea Familia ob ejus memoriam reservata est. Et Gavorrannum Oppidum, annuentibus, qui Rempubicam administrabant, Civibusque Primatibus quibusdam rem pertractantibus, Johanni Malavolta ademptum est, occasione accepta ob suspiciones quasdam, quæ de illo fortassè commentitè, seu per calumnias haberentur.

Quievit tamen Civitas ab Anno 1465. (rebus Italiae undique quiescentibus) per plures annos, ita ut nil bellicum apud nos memoriâ dignum reperiatur. Libuit tamen, quaedam notabiliora per seriem percurrere, quòd latius Civitatis nostræ splendor elucescat. Federicus Tarentinus Princeps Ferdinandi Regis Filius Mediolanum proficiscens, Senis pertransit Aprilis mense, fratris Uxorem Mediolanensis Ducis Filiam ad illum perducturus: In Urbe commoratus est per septem dies cum equitibus trecentis publicâ jugiter impensâ, ac splendide quidem alitus. Dumque moram traheret, de Matris obitu nuntium est allatum, aulicisque omnibus, ac famulis nigra veste indutis, iter prosequitur. Exinde rediens, sponsamque secum adducens, pridie Kal. Julias Urbem ingreditur, equitibus circiter mille comitantibus, qui omnes publico sumtu suscipiuntur, atque aluntur. Exhilarata est ea de causa Civitas, lætitiæque signa exhibita: nam in forum prodeuntes Nobiles fœminæ centum & quinquaginta, sponsa præsentē, festas duxere choreas, ac deinde jentaculo vinoque refecti, vespere adveniente, abiere. Nonis verò Julii discedentes, Romam versus profecti sunt, quò Neapolim pergerent; cùmque Radicophorum jam pervenissent, equitum turmas duodecim obvias habuere pro eorum securitate missas à Rege. Nam Pontificis exercitus Everfi Comitis Oppida quaedam obsidebat. Accidit autem interea, ut Jacobus Piccininus Neapoli, jubente Rege, caperetur; Quamobrem Mediolani Dux Galeatium & Pandulphum filios adolefcentes per literas

F

mo-